

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Ludwig Tils

D. Ludovici Tils Tentamen Aetiologyae Febrium Nervosarum Acutarum

Hannoverae: In Administratione Ritscheriana, MDCCXCVII

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1669643395>

Druck Freier  Zugang





Md - 1027.

D. LUDOVICI TILS

TENTAMEN

A E T I O L O G I A E

FEBRIUM NERVOSARUM

ACUTARUM.

HANNOVERAE,

IN ADMINISTRATIONE RITSCHERIANA.

MDCCXCVII.



C E L S I S S I M O D O M I N O
D O M I N O
F R A N C I S C O E G O N I


D. G.

HILDES. ET PADERBORN. EPISCOPO S. R. I. PRINCIP^E
ET COMITI PYRMONTANO

RELIQ. RELIQ.



O P T U M O P R I N C I P I , P A T R I
P A T R I A E .





P R A E M O N I T A.

Pathologiae, quam philosophiam medicam illustris
Blumenbach^{*)} dixit, suas laudes neutquam
derogabo, quainvis fatendum sit, hanc philoso-
phiam, quatenus nostram, incertis nimium prin-
cipiis fulciri. Quum vero gloria, quae scientiae
debetur ipfi, in eius cultores raro transeat eadem,

de

^{*)} Conf. eius medicinische Bibliothek, 2ter Band.

de his et horum opera in construendis pathologiae doctrinis, quaedam mihi praemittenda veniunt.

Systemata pathologiae hominum ope fabricata, commode in duas classes dividi possunt.

I^{mae} classis systemata scilicet morbos ad naturae et cauſarum diversitates

II^{dæ} classis systemata morbos ad typi, decursus et symptomatum varietates distinguunt. *)

Primae classis systemata tenebris ut plurimum densissimis preſſa, morborum numero haud frequentia et elaboratu difficultima fuere; quippe quae ingenii acumen, doctrinam egregiam ab omni praeiudicio et hypothesi liberam, et copiam observationum naturam

per-

*) Hac in re jam Coī potissimum a Cnidiis receſſere.

perscrutantium — observandi genio verique cognoscendi amore instituram, simul expostulant. *)

Alterius vero classis systemata, studio rerum ante oculos positarum congesta, quum multa eadem sed aliter fiant unicaque saepe caussa diversissimos pro rerum circumstantiis effectus habeat, morborum quos enarrant frequentia, et rei levitate — memoriae et digitorum potius, quam ingenii seu iudicii labores desiderante, palmam primae classi multos per annos praeripuere. Morborum agminatum temporis cum voluminibus crevere, quae huius systematis sectatores, morbis ad botanicorum classes **) ordinis forsan

gratia

*) Haec pathologia novissime iterum rediviva, ab illustri Hufeland praeclare imprimis elaborata est; in libro cui titulus: *Ideen über Pathogenie und Einfluss der Lebenskraft auf Entstehung und Form der Krankheiten.*

**) cf. Fr. Boissier de Sauvages Systema nosologiae universae ad naturae ordinem et classes botanicorum. Amst. 1763. 8.

gratia digestis, conscripsere. Hoc modo nervosa
acuta febris, symptomatibus, et anomaliis typi et
decursus stipata, mihi ortum duxisse videtur.

Praemonenda haec esse censui, statim ut lector
cognoscat, quaenam his de febribus sentiam, qua-
rum veram ut illustrem naturam sequentes paginas
conscripti.

LITE-

et currit autem ob modum medietatis? Cetera in A.
non spondet tamen minorem illi eidem est enim caput modum
invenimus, nonne? In genito etiam cetera sua cetera
est, sed etiam in deinceps omnia et cetera et cetera
ceterumque maximeque diversorum (ceterorum) etiam
adversari. — ceterumque fuit quod nullum ceterumque
ceterumque — LITERARII QUIDQUAM ceterumque
nominis ceterumque ipsius ceterumque ceterumque ceterumque

CIRCA

F E B R E S N E R V O S A S.

Willius seculo XVII^{mo} primus commentator febrium
nervosarum lentarum existit, hasque sub nomine febrium
hecticarum malignarum adcurate satis descripsit. Hiccene
vero, et post illum Huxhamus cuius dissertatio *de febri lenta*
nervosa^{*)} nomen hocce simul cum morbo divulgavit, novo
hoc sub nomine, novum quoque ac neonatum morborum
genus descripserint, nec ne, nec affirmando nec negando
diadicabo, liceat argumenta, quae ill. R. A. Vogel ^{**) ,} ill.
Selle ^{***)} et cl. Rengger ^{****)} adducunt, morbum anti-
quitus iam existisse, magna cum veri specie comprobent.

Hux-

*) Recusa in eiusd. Opp. cur. *Reichel*. 1744. Tom. II. p. 78.

**) Diff. sistens disq. de febri nervosa. Gott. 1767.

***) *Neue Beiträge zur Natur und Arzneywissenschaft*. 1ter Th.

p. 72.

****) D. Constitutio aevi nostri febrilis. Gott. 1788. p. 26.

B

Huxhamus *) sententiam suam de natura harum febrium sequentibus verbis in medium profert: *itaque manifestum esse reor, hunc morbum a solidorum statu nimis relaxato, a sanguine macro, tenui, et a lentore et depravatione (vapidity) humorum lymphaticorum nervosorumque ortum trahere.* Licet haec viri b. sententia — in verbis quibusdam facilem me esse lubens confiteor — mihi apta naturae videatur, recentiorum pathologi plures tamen tanto ab illa dissensu recessere, ut hunc usque ad diem, num morbi sedes solidis seu fluidis adscribenda sit, litigent.

Statim vero ab initio febres nervosas nec proprium in genus, nec in acutas et lentes dispositas novimus. Febres nervosas lentes malignae febris seu typhi species pathologia antiquior solummodo agnoscit; ho-dierna vero pathologia (tantos fecit progressus!) genus febrium nervosarum, *tres in species* divisum, febrim acutam scilicet, malignam et lentam commonstrat. Febris nervosa acuta ad eminentia symptomata iterum in *soporosum, hydrophobicam et phreniticam* **) distinguitur. Accedit quandoque nervosis febribus etiam febris puerperarum. ***)

In genere sub nomine febris nervosae acutae febres continentur diversae per quam naturae, ita ut eas ibi adesse

*) l. c. p. 82.

**) *Selle Pyretologia methodica.* Ed. II. p. 272 et 309 sq. *Rengger* l. c. p. 26. *C. G. Vogel Handbuch der prakt. Arzneywissenschaft,* 2 Th. p. 80.

***) *Rahn Advers. medico-practica* p. 304 sq.

adesse dicamus, ubi symptomata in febribus solito vehe-
mentiora et anomala prorsus, nullum neque gastrici
neque venosi cuiusdam stimuli horum producendorum
symptomatum compotis indicium exhibentia, cernimus! —

Ne commorer hic in refellendis evidenter absonis,
quae ex analysi harum nominis febris nervosae acutae
usum determinantium notionum prodeunt, liceat! Clinici
quoque optimi, quod historia morbi medici ac philosophi
Herz^{*)} a semetipso conscripta docet, diagnosin certainam
febris nervosae acutae a catarrhali maligna non habuere.

Pathologiae priscae irrepescere quoque compluria in-
definita, tum ad eorum naturam, tum quoque nominum
etymologiam febrium genera, quadam similitudine typi
et symptomatum febribus nervosis acutis adpropinquantia,
ut nullus dubitem, febres quae sub denominationibus
*phrenitidis synochi pleuriticae, phrenitidis miliaris, phreniti-
dis variolosae Sydenhami, tritaeophiae leipyriae Galeni, tri-
taeophiae assodes, typhi icterodes reliq. reliq. apud Sauvages,*
uti et illas quae sub nomine *febris carcerum, febris ma-
ligna* apud *Quarin*<sup>**) et *Retz*^{***)} aliquosque veniunt,
commode nervosis acutis febribus, nunc eorum in noso-
logiis locum obtinentibus, adnumerandas esse.</sup>

*) Recusa in Nootnagells Handbuch für prakt. Aerzte, 1 Th.
1 Abth.

**) De curandis febribus Commentatio. Viennae 1781.

***) Traité des principales maladies aiguës. 1790.

DECURSUS ET SYMPTOMATA
FEBRIS NERVOSEA

ACUTAE.

Febris nervosa acuta nullum ordini cuidam adstrictum typum servat. Symptomata constantia et characteristica quoque nulla — et si quae — quod quidam pathologi faciunt, per pauca tamen ei adscribenda sunt.

Omnia quae sub decursu eius adparent symptomata, stimulo caussari videntur, primo auctam valde nervorum vim sentientem, proportione ad reliquas corporis vires habita *), dein acsi tendendo arcus fractus esset, torpor em nervorum summum, uti et reliquarum corporis virium summam debilitatem procreante, ita ut vix vitales functiones persistant. Quum vero et in aliis febribus ad mortem tendentibus haec conditio plus minus quoque

*) Saepius quum de aucta prorsus nervorum vi, et imminutis reliquorum corporis solidorum sermo esset, dubia quae mihi circa hanc auctam vim nervorum obvenere, refutare non potui. Summa debilitas organorum quae vitam ac vim suam unice fere nervis debent, cum aucta ista vi nervorum mire mihi quadrare videtur, vellem ergo inter nervorum dotes prisco more, quem et ill. Hufeland l. c. recepit, distinguere. Mihi autem si verba de nervorum vi aucta facienda sunt, de eorum vi sciente adiecta me loquutum esse, subintelligat lector.

que locum habet, characteristici quid in ista mihi invenire non licet.

Ea pariter quae de systematis arteriosi vi hic imminuta, nervosi vero unice aucta — ita ut omnes vitae vires in hoc concentratae videantur, — traduntur, ne vera quidem sunt *); si vera autem essent, tamen neque singularis neque constantis characteris febrium nervosarum acutarum notam exhiberent, sunt enim v.c. febribus gastro-putridis simillimae symptomatum rationes, et, dari febres nervosas acutas, quae cum sopore incipiunt et letargo finiuntur, exempla compluria testantur.

Decursus febris nervosae acutae commode in duas distinguitur periodos. Primum stadium, seu prima periodus praeter agrypniam pertinacem, et levia incipientium febrium symptomata non urget; at alterum stadium in quod primum subito praevia plerumque occasione abit, symptomatum periculosorum et insolitae indolis copia stipatur. *Hoc utplurimum in stadio febris, ni medicus sagacis canis naribus iamiam futurum morbum odoratus sit, et febrem nervosam acutam iam primo in eius stadio adnuntiaverit, dicitur nervosa acuta.*

Licet haec periodorum divisio, ordoque decursus maxime characteristicas **) harum febrium nota dicenda sint;

*) Conf. *Reit Memorabilia clinica* Vol. I. p. 4 sq.

**) Conf. *Selle's neue Beyträge etc. I. II. III Theil* plurimis locis.
el. Büttner Diff. de febribus nervosis acutis. Gott. 1785.

sint; nihilo tamen minus complures soporosae acutae nervosae febres hac a norma declinant, et sane quaevis febris benignae naturae, regiminis diaetae artisque ope, in stadio cruditatis ad tantam perniciem eyehi potest, ut servato decursus ordine nervosa acuta febris iure dici possit. *)

Quod ad morbi durationem adtinet, in genere nulli fixo temporis spatio adligatur. Duo stadia uti ill. *Finke* **) comperuit 4 - 7 - 14 - 21 dierum spatio absolvantur, ita tamen ut alterum stadium raro ultra septem dies perseveret. ***) Frequenter aegri, vita illis servata, acutam cum lenta nervosa febri commutant. ****)

Morbi historiam et symptomata, ad *Büttner* §), *Selle* §§) et *Reil* §§§) commenta collatam, ita tamen ut pro re nata seu adiecerim seu omiserim, nunc specialius pertractabo.

*) Hoc revera mihi sat fréquens febrium nervosarum acutarum fatum esse videtur.

**) De morbis biliosis anomalis. Monast. 1780. p. 103.

***) Conf. *M. Herz* historia morbi citata.

****) *Finke* l. c.

§) D. c.

§§) Eius medicina clinica et neue Beyträge etc. et Pyretologia.

§§§) Memorabilia clinica. V. I. Fasc. I.

STA-

S T A D I I
FEBRIS NERVOSE ACUTAE

PRIMI SYMPTOMATA.

Solita incipientium seu fientium febrium symptomata, quibus promiscue adcedunt, *specifica?* anxietas, vagi artuum dolores, dolor frontis totum subinde occupans encephalum, soda rancida, screatus et vomitus seu inanes seu insipidam pituitam seu viridem quandoque bilem, seu nigra et foetidissima efficientes, ut plurimum abs signis cordium sursum turgescentium. *)

Agrypnia contumax, quae *Selle* frequentissimo huius febris observatori, pathognomicum signum est, ita ut ubique haec pervigilia in febribus incipientibus viderit, statim futuram nervosam acutam febrim cognitam sibi habuerit.

Propensitas quoque ad obdormiendum frustranea mox enim si somno paullulum indulserint aegri, cum horrore expavorescunt, metuentes ne mors somnientibus superveniret adest.

Vertigines, sudores partiales, *pulsus naturali vix minor ac velocior*, rarius pulsus densus frequens et celer, quem *Reil* observavit, lingua tremula, muco albo arido obtecta, et similia spasticum morbi genium denotantia symptomata, hinc inde adparent.

Adest

*) Quarin l. c. p. 92.

Adest quoque interdum diri instantis morbi sensatio, animusque abiectus et de futuro febris exitu anxius, in orbo externa facie levi.

Levitatem huius stadii quandoque tanta est, ut aegri, de febricula forsan non anxii, ad nonum usque morbi diem obambulent *), et morbi adgravamenta, quae non quaesivere, hoc modo inveniant. An fallor, nec ne, si hac in ratione durationem huius stadii variam ut plurimum possitam esse contendō?

Sensilitas et receptivitas (germanice *Reitzfähigkeit*) auctae quidem, at quadam simul ex parte mole sua quasi suppressae omnino characteristici quid hocce in stadio prodere videntur; at mihi magna quoque symptomatum similitudine, hoc primum febris nervosae acutae stadium, proprius ad stadium illud putridarum, biliosarum febrium adcedere videtur, quod morbus seu febris fiens audit **), persuasum habeo.

*) Conf. *Finke* l. c. p. 103.

**) Conf. b. *Brendel* D. de phrenitide in eius Opusculis cur. ill. *Wrisberg* Tom. III. p. 190. et eius D. de cognatione paraphrenitidis et febrium malignarum l. c. p. 100.

STA-

S T A D I I

FEBRIS NERVOSE ACUTAE

ALTERIUS SYMPTOMATA ET DECURSUS.

Stadium primum nunc

- a) vel sanitas excipit, quod *Finke* *) testatur, si quadrante medicina et iusto regimine ei obvenitur.
- b) vel in alterum abit stadium, de quo iam sermo erit.

Hocce in stadio mixta diversissimorum nullo ordine succedentium symptomatum series urget. Atrocissima symptomata passim spastici passim paralytici genii sunt, ut tetanus ipse **), convulsiones et spasmi tum cloni tum tonici, ut quoque coma vigil, et sphincteris ani, vesicae etc. paralysis.

Morbi adgravamenta uti et mors plerumque in dies criticos cadunt.

Comparet quoque saepe saepius exanthema febrile, quod imprimis ill. *Retz* ***) tanquam singulare harum febrium adnotavit, quodque morbum valide adgravat, imo si in primo stadio iam comparuerit, retrocedens, alterum stadium adcelerat.

Tem-

*) l. c. p. 103.

**) Conf. *Selle neue Beyträge* 1. Th. p. 100.

***) l. c. p. 43 sq.

C

Tempora — si in dies criticos adgravamenta et mortem cadere solere verum — servat haec nervosa acuta formata febris quidem at typo non gaudet — quum nec continentem nec remittentem, nec intermittentem (?) esse legatur; quocum ea vero, quae *Selle* *) de singulari animae tristitia — seu nimia hilaritate remissionis tempore, et quae *Büttner* **) de vespertino morbi augmentatione locuti sunt.

Alterum hocce stadium iterum in duas periodos dividitur, scil. in periodum spasticam seu phreniticam, et in periodum paralyticam seu soporosam.

PERIODUS SPASTICA.

Initio huius stadii pulsus celer, durus, quandoque etiam frequens et densus — ita ut interdum inflammatoriam febrim mentitus sit; at febri paullulum proiecta, celer, parvus, ferratus et intermittens evadit, ita ut ipsi eadem fere conditio sit, quae in febribus gastro-putridis, quibus — inflammatio viscerum occulta — adcessit, obtinet. ***)

Accedunt vehementes cordis palpitationes, respiratio plus minus difficilis, et anhelosa, vox sonora et elangosa, tuficula sicca, quam ill. *Consbruch* ****) periculosam mortis indi-

*) Medicina clinica p. 37.

**) l. c.

***) *S. G. Vogel* l. c. p. 93.

****) *Journal der Theorien, Erfindungen und Widersprüche in der Arzneywissenschaft.* X. St. p. 76.

indicem in dysenteria quadam catarrhali epidemica invenit; interdum quoque sputa cruda filis sanguineis intertexta eiiciuntur. Adest quoque deglutitio difficilis abs mechanico obstaculo, cui se spasmus laryngis coaretans iungit, et inde paroxysmus suffocativus.

Adpetitus plerumque deiectus seu nauseus, cum anxietate praecordiorum sitique interdum nulla, interdum inexpiabili. A deglutitione difficile, ptyalismus seu *Hippocratis* indecora sputatio. Praesentia huius symptomatis propriam febrium nerv. acutarum speciem, hydrophobicam n. a. sc. efficit! —

Cutis plerumque siccissima, arida, modo hinc inde sudore quodam partiali frigido madida.

Diarrhoea, plerumque nec morbum levans nec critica ^{*)}, effundit aegros, cui tensio muscularum abdominis spastica ^{**)} , et meteorismus quandoque adcedunt. Quandoque vero alvus pertinaciter obstricta aegri calorem capitisque dolores exasperat.

Urina plerumque iumentosa, turbida, nubibus volantibus in illa, abs sedimento, interdum rubra crocea, interdum mere aqua. —

Calor corporis austior mordax, quandoque vehementi cum frigore et horrore commutat, nec facile unquam

^{*)} Quarin l. c. p. 93.

^{**)} Leake practical observations on childbedfever p. 93.

unquam aequalis per totum corpus reperitur. Mox externa algent, interna uruntur (leipyria); mox caput pectus et praecordia calore flagrant, quum extremitates frigore contremiscant.

Dolor capitis praesertim circa orbitas intensissimus totum saepe encephalum occupat.

Vires musculares aegri sub paroxysmo delirii furiosi mire auctae, ceteroquin, et praeprimis in paralytica periodo, prorsus seu magnopere fractae.

Tinnitus aurium, et quandoque auditus, ceteris vis vitalis functionibus quasi sufflaminatis, mirum in modum adauctus. *) Oculorum rubor et splendor, et visus interdum nimium acumen, interdum hebetudo variant.

His symptomatibus delirium ferox et phreniticum adcedit, quod aegros spectris, imaginibusque mille, frequentes saepe iras et pervigilia caussantibus **), vexat. Deliria magna in alendo morbo faciunt, ita ut causa eorum proxima sublata (Herz nostro cubiculum insuetum erat) aegri mox sanitatem recuperent.

Vox aegrotorum balbutiens divina humanis mixta abruptis effatur periodis; saepe vox stridula, sonora, gallenteu similis auditur, saepe — quod vero maxime in ultima periodo contingit — plane cessat. Lingua plerumque levi muco obtecta, rubra, sicca, tremula, quandoque aphthis

*) III. Brandis über die Lebenskraft. 1795. p. 157 sq.

**) M. Herz historia citata.

aphthis quoque obsita interdum gangraenescitibus *) dehiscens, atra quoque subinde crusta obducitur, quae etiam labia et membranam quandoque Schneiderianam occupat.

Oculi icterici quid referunt, et collapsa palpebrarum tela mucosa, in orbitis fere absconduntur. Facies Hippocratica!

His symptomatibus si spasmus omnis generis, a risu fardonicus, oculorumque strabismo usque ad tetanum adduntur, quodammodo febrium nervos acutarum faciem prima in alterius stadii periodo cernimus.

PERIODUS PARALYTICA.

Nimiam quamlibet vis vitalis reactionem, excipit torpor seu paralysis nervorum, acsi arcus tendendo fractus esset.

Adcedit inde illi turbae, serius ocius coma vigil **), pulsus myurus, respiratio parva et celer, anima foetens frigida, diarrhoea et urina colliquativa, foetens, nigra, iride obducta, inscio aegro elabens.

Conglomer in lecto convolvitur aeger, delirio miti et hectico tenetur, nec raro bene, ut ipse opinatur, valet, et saepe omni delirio brevi ante obitum linquitur.

Oculi

*) S. G. Vogel 1. c. p. 93.

**) Lind Essay on diseases incidental to Europeans in hot climates. p. 67.

Oculi muco sebaceo obsiti sponte illachrymant, quan-
doque etiam haemorrhogiae et colliquativi sudores adce-
dunt. Aeger morbo consumptus — exspirat.

Mors interim suo beneficio finem morbo ponere solet,
quum aegros convulsionibus et suffocativo paroxysmo
correptos enecat.

Spem salutis hac in febri raram, pulsus maior, mol-
lior et aequalis, respirum facile, sudor per totum corpus
aequalis, et coctionum ac crisiūm absolutarum signa faciunt.

Ultimam vero alterius stadii periodum, cum orci
faucibus liceat comparare, e quibus nulla est redemptio.

CAUSSAE FEBRIS NERVOSE

ACUTAE.

Contemplatio caussarum quae sua vi tantos ciere
effectus poterant, aequa res ponderis ingenii et laboris est.

In modum, quo hae caussae agunt, inquirentis, pri-
mum sane studium in successiva ista caussarum in corpus
agentium serie, ac diversimode modulata, iterumque mo-
dificata, ope earum vi vitali inhaereat, si quaedam eum
veri specie optat enucleare.

De

De serie caussarum cogitanti, oportet in oculo quasi contemplari ac disquirere statim caussas, extremis in fanaticatis morbiisque limitibus succendentium caussarum actioni viam sternentes. Has proëgumenas caussas, (technico verbo utar) dari hic, nec ne, prudens nemo dubitat, et praeter observata, ratio ipsa, ni fallor, commonstrat, desiderari hic plurium caussarum concursum. Unica scilicet caussa fani vel vitae infesta, annon si morbum, simplicem si mortem subitam infert? Annon, si unius tantum caussae in corpore, cuius vitae vis praegressis caussis nondum morbide determinata est, gravissimus hicce morbus effectus esset, unica eademque caussa in quolibet ceteroquin sanissimo hunc morbum producere, annon e. g. tum variolosum miasma incolumi recens nato similem ac isti varia corporis labe laboranti morbum gignere deberet?

Sed porro rem argumentis prosequi non studebo, de qua facile nemo dubitat. Convertam me ad expositionem earum rerum, quae ad *caussas proëgumenas febrium nervofarum acutarum* pertinent, ita ut generalioria statim praemittam, tum vero specialius in illas inquiram.

Metamorphosis ista vis vitalis, et corporis functionum, quae mihi est dispositio ad febrim nervosam acutam, quum corpus a sanitate nimis anomalum reddat, sane unius momenti opus non est; caussae certo guttatum lapidem carabant, secus enim reagente incolumi vi vitali fieri non poterat. Intercedit diversas vitae vires sana quaedam proportio, habent diversae animae uti et corporis vires suos antagonistas, quo virium quasi aequilibrium oritur. In huius vitiata indo-

indole seu abolitione fontes plurimorum positos esse, an iure credo? an hypothesi reor?

Prava sanitatis conditio omni iure igitur his e fontibus adquiritur, et ex his studebo naturam dispositionis istius, quae ortui febrium nervosarum acutarum praecedit, ut enucleem. In diversa determinatione virium hominis vitallium, principio isto, quod vitae servandae mortisque generandae ut ut determinetur, compos est, praecipueque quidem in ista, quae speciali modo febribus nervosis acutis generandis fovet, filium ariadneum habemus, quo duce caussarum imposterum sub febris nervosae ortu adcedentium insolentiam, abnormes voltus, mirasque effectuum diversitates, quin labyrintho nos implicemus, explicare possumus.

Nox ubi has enarraverim caussas, mihi quoque de caussis praeproximis et proximis sermo erit.

DE
ANIMAE DISPOSITIONE
AD
F E B R E S N E R V O S A S
A C U T A S.

Homo vivens uti constat corpore vivo et anima componitur. Quaelibet pars proprias sibi vindicat functiones tam

tam intimo nexu iunctas, ut, seorsim exponere illas, vitium sane esset, secus si fieri posset. Quum vero rerum obscura, oriundaque confusio hoc praepediant, seorsim quidem de his, quantum ad rem meam pertinet, et seorsim de illis agam; si autem in enarratione unius alterius simul fatum tangam, tum quae locorum confusionie peccavi, rerum clarior expositio excuset.

Animae functiones vel ad sanitatis normam, vel morbide succedunt. His ingenii et memoriae officia, his animae pathemata.

I. *Ingenii et memoriae exercitium nec nimium nec corporis functiones, servandae sanitati destinatas, praepediens, summum hominis bonum sanitatisque praesidium dicendum, servat enim mentem sanam in corpore sano. Natura suas opes, aequa proportione, ambo bus fuggerit, at animae functiones aucto ultra fas eorum dispendio, corpori sua bona praeripiunt.* *)

Statim enim ubi animae vires, et *ingenii* quidem imagis, quam memoriae, nimium intenduntur, corpus occumbit; privatur optima ei destinata alimentorum copia, quae aucto animae dispendio avolat.

Corpus hac rerum ratione *sanum dici non potest;* an vero et *ipsa anima morbo idiopathicō laboret,* dijudicare non ausim.

Reve-

*) Conf. Hufeland über die geimpften und natürlichen Blättern.

II. Ausg. p. 435 sqq.

Revera hoc modo ingenii vires interdum magnopere extolluntur, interdum vero supprimuntur, imo compertum quoque est, vesanas his enim animae intentionibus ortas esse. Vero similius mihi ceteroquin videtur, hic potius corporeas animae machinas pati, quam animam ipsam. —

Sed haec dubia, veri quidpiam ex eorum analysi, et adsiduissima perscrutatione enasci, unquam posse desperans, mitto, eaque potius considerabo, quae huius animae functionum excessus sequelae in corpus habentur, quomodoque ad nervosas acutas febres dispositionem generent.

Illustres in medicina viri *Stoll*^{*)} & *Herz*^{**)} in semet-ipsis experti sunt, quid diurnae animae intentiones in corpus valerent; adcedente enim eis plerumque vita quam maxime sedentaria, non solum corpus, studi summo stimulo vexatum, nec famis nec siti stimulus satis persentit, (ac si stimulus major minorem tolleret), sed & viribus corporis vitalibus illa subducitur excitatio, quae motu corporis, aliave functione, huius potius, quam animae vires expostulante, obtinetur. Sternitur hocce vitae regimine, ut constat, sani corporis robur; immo ventris viscera, quorum structura jam a natura tam debilis est, ut boni regiminis ope incolumis semper servari debeat, magnas subeunt catastrophes, non solum enim hypochondrica seu hysterica corporis diathesis inde progignitur, sed et praeter haec mala,

fun-

^{*)} Conf. Rationes medendi in nosocomio pr. Vindobonensi T. II.

^{**) Conf. Neue Beyträge etc. von Selle, IIr Th. Nootnagell l. c.}

functiones corporis reliquae vario nexu conjunctae, modo nimium augentur, modo languent, modo vitiōse succedunt. Transpirium et motus peristalticus viscōrum abdominis praecipue succumbunt, proportio inter animae et corporis vires tandem prorsus cessat, oritur status iste, quo praesente corpus nimium sensile dicimus, quo animae vires auētiae stimulos, majori ad sanitatis leges modo, persentilicunt, corporique altius imprimunt; oriturque inde ad spasmus seu cloni — seu tonicos, sublata reactione ad sex res, quae non naturales audiunt, proclivitas.

II. Animae (vulgo animi) pathemata, de quorum in corpus efficacia hodiernis temporibus docte et diserte satis disceptatum est, paucis solummodo tangere liceat.

Animae pathemata quae sunt moeror, ira, furor, terror, gaudium, amor, et *timor praecipue* de cuius in generandis hisce febribus potentia *Stoll* et eius germanus interpres *Fabri*^{*)} tam egregie testantur, suum in corpus sat demonstrant dominium, dum et subitaneas mortes, et omnis generis morbos corpori gignunt. Facili quoque labore intelligitur, si verum est aegrotante anima aegrotare et corpus, corpus cuius anima in pathematum horum frequentia versatur male adfici debere; tantoque rerum concursu hic haud opus esse, citius ut corpori ista labes inducatur, quam nimiae animae in cogitando et memorando exercitationes serius ei procreant.

Ani-

^{*)} *Stoll's* Heilungsmethode im Krankenhouse zu Wien, II Th. p. 71.

Leake pract. obs. on childbedfever, p. 41.

Animae pathematum frequentiam viscerum imi ventris, totiusque saepe corporis fabricae ruinam esse, res facti est. Hacce e labore oriri quoque disproportionem reliquas inter corpores vires, cum animae eiusque ministrorum nervorum viribus, satis itidem constat.

Adfuescit anima ideis sibi saepe ad sociatis, — impressiones saepe redeuntes agilitatem quandam impertuntur nervis, qua adquisita, in hos stimulos facilius reagunt. Inde mihi etiam natura istius ad rixas irasque proclivitatis elucescit, in harum febrium decursu tam frequenter obviae.

Hicce animae pathematibus de quibus me jam satis loquitur esse reor, licet duo adhuc adnumerare, quorum doctrina nondum satis elaborata est, haecque paucis tangere, libidinem Veneris scilicet et phantasiam, in morbo quem incubum vocant tam eminentem.

Libido Veneris vis an animae, an corporis sit, quum utroque tanto nexus jungitur, dubium sane non est. Cernimus quidem eius magnos in corpus effectus, quum et spasmos inflativos, et excretiones liquorum plerumque facilis negotio non excernibilium oriri ex ea videamus, at id ipsum et casus analogi praecipue irae in hepar potentia, satis dilucide commonstrant libidinem Veneris animae pathematibus adnumerandam esse. Adeingor ad enarrandas rerum rationes, quas vel coines vel sequelas huius animae affectus habemus. Libido Veneris nimia nimium ad Veneris exercitum eheu! Platonem stimulat ipsum; de quo, et si moderationi, tam vitae infestos notavere medici effectus!

Exer-

Exercitium Veneris, tum quoad naturae leges, tum quoad artis suppeditamenta exercitium, teste longaeva experientia corpus debilitat; imprimisque abdominis et thoracis (pulmonis praesertim) viscera; intercedit enim haec viscera et feminis fabricam consensus quidam magnus, clinicis item ac physio: et pathologis notatus, cuius ope sane varii hujus animae pathematis effectus producuntur, et simul explicari possunt.

Phantasiae naturam, quae praesertim ventriculo cibis obruto, dormientibus at sanis ceteroquin hominibus delirantium speciem praebet, exponere, eius obscura et principia sat quidem efficacia — at nimium delitescentia dilucidiora reddere, quis tantam imputet homini molem? satius, ni fallor, erit, hic quoque ea quae de rerum specie et circumstantiis adnotata reperiuntur, adducere.

Pphantasia ubi homines vexat; ibi

A. vel animae dotes depravatae morbum faciunt *idiopathicum*; ut vetularum somni tempore imaginariis diaboli amplexibus vexatarum exempla commonstrant. —

B. vel labes viscerum imi ventris, diversis diaetue et regimnis vitius adquisita, corpori et anima — ut fere semper solet — sensilioribus unita, morbum hunc animae sympatheticum reddunt. Lubenter nunc quidem concedam, morbum hunc priori in casu, et si quis contendat — etiam in altero, talem esse, quem *morbum sine materia* dicunt. Attamen constat, morbum, id quod ipse non habet, aliis morbis, quos ille produxit, seu quibus adcedit, tribuere posse. Praesertim vero in altero casu,

ma-

malum ipsum, quod morbum caussabat, ob requiei
quam somnus tranquillus largitur defectum, mirum
in modum augeri, et ita haec duo animae pathemata
dispositionem ad febres nervosas acutas facillime cor-
pori progignere posse concludam.

DE DISPOSITIONE

VIS VITALIS CORPORI INSITAE

AD HANC

NERVOSAM ACUTAM FEBRIM.

Ea quaelibet corporis exercitia, quae non servando
ei, sed ruinae ejusdem potius aptantur; quae corporis vires
partim nimium suppressimunt, partim nimium extollunt, et
quae praecipue delicatas constitutiones seu agilius red-
dunt nervorum systema, (qua e re et frequentiam febrium
acutarum nervosarum magnis in urbibus elucescit *), pro-
ducendae istius corporis dispositionis, quae speciali modo
febres nervosas acutas parit, sat potentia jure habentur.
Hancce ad dispositionem adquirendam *corpora iste* mihi prae-
ceteris apta videntur, *quibus laxior irritabiliorque solidorum*
compages, animae subtilioribus et sensilioribus ministris juncta
est. Patebit inde *sexum*, quem *sequiorem* dicunt, huic di-
spositioni *prae masculo* expositum esse, praesertim si *gravidit-*

*) Conf. *Selle neue Beyträge zur Natur- und Arzneywissenschaft*
3 Theile, p. 80.

tatem et puerperium, quibus obeundis sexus sequior naturae legibus adstringitur, milleque diaetae et regiminis vitia, data occasione — fancitaque interdum praejudiciis accentuaria, spectes, sane tibi haec hominum classis, cui dulcia et amara harmonia mira fatum admisit, praeceteris ad hanc febrim prona videbitur. Corporis gravidarum, praesertim instantis partus tempore, conditio tam prave immutata reperitur, ut epidemiarum tempore maximo in vitae periculo versentur, si has enim corripuerit miasma, *tum moriuntur vix non omnes*, ut Finke *) egregie testatur.

Haec corporis conditio — stimulo quodam rebus sex non naturalibus haud adnumerato producta, tanquam causa disponens ad febres nervosas acutas mihi seorsim pertractanda veniebat; nunc vero de harum rerum non naturalium efficacia in generanda hac dispositione verba quedam facere oportet.

Ex anni temporibus, quae sane in generanda varia ad morbos dispositione magna faciunt, praesertim auctumnus et hyems corpora ad febres nervosas acutas disponere vindentur, quamvis, ut e summa observationum hac super febri institutarum elucescit, eas omnibus anni temporibus saevisse constet. Quae de aquis aere et locis in hacce generanda dispositione veniunt, quum sit sua cujuslibet terrae plagae in his propria conditio, generali quodam intuitu exponenda esse reor. Omnis labor in illo haeret, ut enucleetur, quae sint plurimorum locorum aquarum et climatum, in et sub quibus hae febres occurrunt, communia.

Quum

*) De morbis bil. anomal. p. 49.

Quum vero non solum urbium sed hodierna die saepe saepius et habitaculorum sua sit in aquis, aëre et locis anomalia, facillime falleremur; si aquarum et aëris ex analysi chemica et locorum quoad sub dio obtinent, conditione, ad sanitatem incolarum sub decentium, qui aqua et aëreo pabulo raro puris immutatisque utuntur, concludere vellemus.

*Via ista inter vitae genus et diaetam Guestphalorum et Clausthaliensium ^{**) media}, eaque regiminis vitia ill. Hufeland ^{***)} egregie adnotavit, ut paucis dicam, ea sunt, quae de aquis aëre et locis, (etsi ad Hippocratis doctrinam de illis dici nequeant) seu quod idem est, de cafféis, spiritibus ardentibus, cerevisiis, mephitibus ubiculis innatibus, deque habitaculorum madidis parietibus fornacum aestu fumantibus monenda censeo.*

*Vitae quod attinet regimen ill. Selle ^{****)} nobiscum exemplum et normam simul communicavit, quanti eius potentia in generanda ad has febres nervosas acutas aestuanda sit. Circa generationem debilitatis solidorum, praecipue imi ventris omnis versatur axis. Hinc magnas sibi vindicant partes frequens ebrietas ^{*****)} abusus v. s. et medicami-*

^{**) Finke de morb. bil. anom. p. 11. fqq.}

^{***) Lentini de aëre et morbis Clausthaliensium, p. 10. fqq.}

^{****) Ueber die Erkenntniß und Heilungsart der Serofelkrankheit, p. 134. fqq.}

^{*****) Neue Beyträge etc. 11 Th. p. 79.}

^{*****) G. Lind Essay on diseases incidental to Europeans in hot climates, p. 113.}

num catharticorum, *) *victus vappidus, inmodica Venus et defatigantes nimium labores* **) nominanda hic quoque veniunt, *vestitus et regiminis ope adquisita cutis labes.* Organum istud quod magnis resorptionis et exhalationis muneribus fungitur, hodierno aevo maxima ex parte res tanquam nullius momenti neglectum fuit. Statim enim ab infantili aetate nimio calore tum integumentorum tum lectulorum robur ejus infringitur, irritabilior et sensilior nimium redditur, minimisque facile vexatur stimulis. Balnea haecce hominum antiquorum sanitatis palladia, tum negliguntur, tum abusu noxia redunduntur. *Immundities cutis, cum frigido aere concurrens, paecludit perspiratio, magno isti corporis emunctorio, vias, hinc sordes* (sit venia verbo) *hac via occlusa, consensu quodam determinatae pulmones intestinaque petunt, hasque partes muneribus obruunt, quae invalida cutis vitae oeconomiae denegaverat.* Tum vero oritur cum cutis labe pulmonum simul ac intestinorum abdominis ruina; hinc frequentia pulmonum et abdominis morborum; hinc si non omnino, sane maxima ex parte malignitas variolarum, hinc scrofulae milleque morbi alii. Jure haec cutis labes disponens caussa febrium nervosarum acutarum dicitur, cognita enim fatis sunt in morbis analogis, imo in ipso morbi huiusc decursu, cutis offensae, in struendis vitae exitiis, imperia. ***)

Cor-

*) Selle 1. c. Stoll übersetzt von Fabri 1. c. 2r Bd. p. 95.

**) Finke 1. c.

***) *Lentin de aere et morbis Clausthalium* p. 23. *Hufeland*
über die Blattern etc. 11te Aufl. p. 144. sub nota.

E

Corpora mulierum et infantum, quum sint structura sua jam quasi ad febres nervosas acutas disposita, tamen ob morbos quosdam chronicos e. g. vermes, dentitionem, scrophulas, hysteriam, his hominum classibus tam frequentes majori adhuc in harum febrium periculo versantur.

Vermes debilis imi ventris incolae, vegetant quodammodo in visceribus sani ceteroquin, nec magnas ei parvunt molestias; at statim ubi stimulus corpori accesserit febrilis, tumultus excitant, acsi eodem correpti stimulus delirarent; convulsiones omnis generis, deglutitionem difficiem, ipsam imo hydrophobiam, tetanum et phrenitidem advocant; ita ut malos febris exitus de illis, qui, ut cum *Pinke* loquar, potentiam animatam in visceribus alebant, summa cum veri specie, praesagire possimus.

Periodus dentitionis quae a secundi aetatis anni initii humanam jam detinet prolem, sane corpora ad tempus durationis febribus nervosis acutis prona reddit. Excitat dentitio difficilis in infantili at immuni a febrili stimulus corpore diarrhoeas, choleras, epilepsias &c. Quanta demum eius potentia in corpus febrili stimulus correptum sit, sat multi observatores epidemiarum, inter quos ill. *Hufeland*^{*)} imprimis mihi nominandus est, memoriae prodiderunt.

Sane ergo non fallor, dum et dentitioni difficultate his partes in generandis febribus nervosis acutis tribuo. Scire interim mallem, an Jolo suo stimulus ad gingivas agat,

^{*)} Bemerkungen über die natürlichen und geimpften Blättern zu Weimar etc.

annon eius potentia quoque consensu illo, qui caput et hepar intercedit magnam in partem extollatur?

An et scrofulosa corporis cachexia suum conferat ad febres nervosas acutas efformandas, ille dijudicet qui viri ill. *Hufeland* opus hoc de morbo legit, eiusque verbis fidei facit.

Hysteriae vero sat cognita est potentia, in ciendis, si febris supervenerit, tumultibus; ipsa illa labes corporis est, quam diversa jam citata regiminis vitia, quam et vermes saepe saepius paravere, ut omni cum veritatis specie eam quoque disponentem caussam febrium nervosarum acutarum dicere possim.

Huic corpori ita modificato ac disposito stimulus si accesserit febrilis, plerumque febrem nervosam acutam eventuram esse credo. Semper his diversis caussis abdomen plus minus afficitur, illudque ipsum est, cuius prava conditio tantis ciendis motibus sufficit; in eo phrenitidis in eo phthiseos pulmonalis fomes latuit, et ex hoc fonte uti *Keil* *) dixit, revera oritur quidquid est in medicina incerti et obscuri. Stimuli infesti si debili intestinorum tenuium tractui et ventriculo accedunt abnormes edunt effectus; hinc et vermium potestas luce clarius patet. Rem meam non tangit physiologicis anatomicisque argumentis haec phaenomena explicare, sed sufficiet clinico longaeva experientia comprobata veritas quam effatur ill. *Schroeder* **)

quum

*) *Tentamina medico-physica*. Londini 1718. p. 116.

**) *Dissert. de frequent. febrium prodrom. citata* p. 13.

quum ait: *quorum imi ventris robur incolume, horum systema nervosum non levi a cauffa turbatur.*

Siquis vero hacce de disponente cauffa tanquam re neutiquam essentiali, quum et corpora sanissima hac febri correpta sint, dubia moveret, sit! inquam, talia extitisse exempla, necesse tamen est *stimulus febrilis* corpori accesserit. Huncce stimulum vero corpori insitum prius parasse corpori quandam dispositionem, antequam febrim ipsam generaret, *) quid naturae magis consentaneum? Et nunquam dubitabo, vario rerum concursu, seu his cauffis, quas proximas voco, febrim nervosam acutam his paulo ante sanissimis corporibus parari posse.

Generatim quoque ansam harum febrium non infibili miasmate, ut J. Fr. Richter **) medico Berolinensi et Büttner ***) placuit, quum nec vere endemice nec epidemice graffatam esse apud me constet, sed in individuali dispositione, ni omnia me fallunt, quaerandam esse pono. Observatae quidem sunt epidemiae malignae totas saepe regiones devastantes, sed in his cauffam malignitatis non semper in variolis forsan adnexo malignitatis - miasmate, sed in corporis suscipientis diversa labe positam fuisse egregie docet ill. Hufeland ****) et quamvis etiam argumenta, quae

*) Ill. Schroeder I. c.

**) Abhandlung von den Fiebern. Berlin 1785.

***) Diff. citata.

****) Bemerkungen über die natürlichen und geimpften Blättern etc.
11te Auflage, p. 223.

quae vir illustris postea, quum de selectu materiae inoculandae loquitur, tantis testibus comprobata adducit *) impugnare dicta quibusdam viderentur; in aperto tamen est, loqui illum hic de variolis putridis, nunquamque mentis compos illud multaeva experientia fanicum negabo miasma, quod ichori variolofo innatans, omnibus putredinis sese manifestat signis.

An vero et idem de subtili febrium nervofarum acutarum sub pure ceteroquin sanissimo latescente miasmate valere possit, prudens et aequus dijudicet judex.

QUAEDAM DE CAUSSIS

FEBRIUM NERVOSARUM ACUTARUM

PRAEPROXIMIS.

Corpora sub descriptis pravae sanitatis periculis verantia febre quadam, tum temporis quidem nondum febre nervosa acuta, sed caussa febris nervosae acutae solum praeproxima, corripiuntur. Quotquot dat coelum et terra epiet endemicas febres, tot diversae febrium species corpora corripere, inque in his vario rerum concursu febres nervosas acutas generare, seu potius, sua ipsa opera, in illas commutari possunt, unicam vero febrium speciem tantae a culpae frequentia liberem, phlegmonoideam scilicet genuinam,

*) l. c. p. 268.

nām, cūjus ab ingressu natura corpora ad febres nervosas acutas disposita flebili beneficio munivit.

An vero *febres spuriis* — *inflammationibus junctae* seu generandis seu constituendis febrībus nervosis acutis aptae sint, quaestio est, nec primo intuitu, nec hic statim dijudicanda, quum imposterum suo loco eiusdem mentio fiat.

Filum nec̄to, eaque quae hic mihi de cauſa praeproxima dicenda fūt, paucis enarrabo. Haec febris, ni specificis miasmatibus accensa frequentissime venoſo-gastrica idque vel catarrhalis biliosa, pituitosa, seu putrida est; saepissime enim comitatur exanthemate febrili, quod plerumque etiam ante febris nervosae acutae ortum adparet. Haec febris ob virium vitae defectum imbecillamque reactionem in ſtadio cruditatis, uti natura *ſtadii* febris nervosae acutae *primi*, quodque nil aliud niſi febris primaria nondum in febrem nervosam commutata est, abunde teſtatur, diu ad undecimum usque diem abs coctione & crisi, aegro obambulante, nec graviter morbo detento, ad *Finke* obſervata ſtare poteſt.

Summa demique cum ſpecie veri concluditur, in hisce febrībus, ubi vires naturae medicatrices languent, et prave perquam modificate ſunt, ubi coctiones et crises naturae officio vix ac ne vix quidem ſuccedunt, desideravi ſolummodo ſtimulum quendam accessoriū, ut nimium obruta imbecillis natura, collecta tandem omni vi residua huic repugnet, at impari impugna ſuccumbat. Hos accessoriōs ſtimulos, quos evolventes febrium nervosarum acutarum cauſas (ſeu cauſas proximas) nominare liceat ſpecialem
ſane

fane attentionem merentur, ita ut proprio capite de illis agam.

DE CAUSSIS.

FEBRIUM NERVOSARUM ACUTARUM PROXIMIS.

Primo de illis stimulis accessoriis tradam, qui a febri primaria ante dicta ipsa sub eius decursu ad evolvendam febrim nervosam acutam generantur. Huius generis stimuli potissimum tum observantur quum subjecta ad febres nervosas acutas disposita febri quadam corripuntur.

In genere, constat, febrim nunquam salutares prorsus edidisse in corpora effectus, quamvis sit ipsa nifus naturae medicatricis, et quamvis hinc inde in sanandis morbis chronicis salubris inventa sit. Adauget sub tempore isto quo corpus tenet, solidorum irritabilitatem et praesertim sensitatem hinc et omnia fere febrium symptomata spasticum genium denotant; tum ad aucto ob praeter naturalem cordis irritabilitatem sanguinis et humorum circulo, caloreque animali, dissipat humorum fluidiora seu spiritus, variasque caussat eorum dyscrasias. Hocce in ipso febris effectu latet ergo saepe caussa cur nervosa acuta evadat. Vermes enim seu jam ante febris ingressum corporis incolae, seu febris ipsius potentia, uti egregie docuit *van dem Bosch*^{*)} e seminio

*) Historia epidemiae verminosae.

nio humoribus insito evoluti, dentitio difficilis, bilis seu ex febris natura vitiata seu ob communem febrium spasticam naturam transitorie effusa, forsan et nimium irritans, atrabilarii imi ventris infarctus, antea si corpori minus sensibili exiguas si creaverunt molestias, nunc corporis sensilitate admodum aucta, nonne quoque et auctos debent edere effectus? Nullum porro corporis constituentium partium sistema hos inimicos stimulos magis perfentire potest, quam nervosum, cuius sensilitas in his corporibus dispositis naturae leges et communem in febribus normam magnopere excedit; hinc mirum non est, si cetera corporis organa, quorum vis vitalis jam dudum magnopere fracta est, languescere videmus, quam majori stimulo, minorem, et actione majori minorem quoque tolli constet.

Quidnam ergo majori cum veri specie editis concluditur, quam quum immunita sit reliquorum corporis organorum, illorum quoque quae coquendae materiae perficienda eque crisi destinata sunt, reactio, quod cruditas in febri perseveret, et nervi stimulis ope coctionis non subactis nimium irritati febres nervosas acutas producant? Hic status mihi illa metastasis ad nervos veterum esse videtur, in qua explicanda omnis hic versatur res.

Altero loco adventitiae morbi febrilis complicationes, quae naturam et faciem morbi simplicioris mirum in modum commutare *) ac enormes cire tumultus possunt, nominandae veniunt. Diverso stimulo, diversas, imo saepe op-

*) S. G. Vogel l. c. II Th. p. 99.

oppositas excitari solidorum reactiones secus fieri nequit; sic natura coctioni utriusque seu plurium materialium intenta, quum separatim quamlibet tractare nesciat, nullam prorsus conquere seu heterogenea haecce unicam in massam redigere potest.

Sed eheu! nimia obscuritate coctionum et crisium salutare naturae munus adhuedum praemittur, quum nec oeconomiam nec normas naturae in his perficiendis satis apud eruditos constare sciam, mihiique neutiquam acumen illud ingenii imputem, ut vera ac nova haec illustrantia memet proferre posse, juvenis sperem.

Constat potentia complicationum, constat quantum illae in febres sic dictas humorales possint; docet ratio cur, doceat dies quomodo id agant! meminisse juvabit *Hallerum* vaticinantem.

Ins Innre der Natur
Drang kein geschaffner Geist
Zu glücklich! wem sie nur
Die äufste Schale weist.

Nigerrimo colore picta febrium complicatio, sane inflammatoria est. Neminem fugiet, quam infestae sint illae peripneumoniae et pleuritides biliosis febribus his in terris tam crebro accidentes. Nemini pariter latebunt, quae de inflammationibus viscerum occultis, de cerebri eiusque menyngum, uteri et peritonaei inflammationibus narrantur.

Mea quidem opinione hae inflammations saepe saepius non genuinae seu primariae inflammations, sed

F

spasti-

spasticae sanguinis accumulationes (engorgements) naturae convenientius dicuntur, quippe quae antispastica medela potius venae sectione debellantur; ita ut hae inflammations mutatis mutandis eiusdem fere naturae sint, ac illa in gonorrhœa virulenta. *)

Attamen observatis sua pondera nec negando nec ratiocinando derogem, sique ill. *Wienholt* **) talia e beati *Schroederi* observatis se vidisse testatur, qualia et *Lind* ***) confirmat, dum inquit: The dead bodies havind been examined, — — — the stomach, mesentery and intestines were found covered with gangrenous spots. The orifice of the stomach appeared to have been greatly affected, the spots upon it being ulcerat sed.

Inflammationem agnoscum igitur, perinde vero videtur, oborta jamjam inflammatione, an effectus spasmis accumulati, inque vasis turgidi sanguinis, an genuina, et idiopathica inflammatio sit.

Character porro epidemiae cuiusdam inflammatorius naturam ac formam febrium valde immutat, symptomataque mirum in modum adgravat. ****)

Ex

*) Conf. *Brandis* im Journal der Erfindungen, Theorien und Widersprüche in der Arzneywissenschaft, X. Heft.

**) D. de inflammationibus viscerum occultis in feb. bil. putr. Gott. 1772.

***) Essay on diseases incidental to Europeans in hot climates. London 1768. p. 114.

****) S. G. Vogel Handbuch. IIr Th. sq.

Ex observatis interim epidemiis (praecipue febrium specifico miasmate caussatarum) elucescit, quam diversa, oppositas saepe medelae indicationes fundantia symptoma complicationes in genere provocare possint; et quamvis multa adhucdum de hisce febrium complicationibus dicenda mihi essent, nihil tamen minus abstineo, quum, partim et dicta sufficere censeam, ad probandam thesin scilicet conferre has complicationes multa posse, ad generandas nervosas acutas febres, praesertim in illis febribus, quae ob disponentes caussas — ab epidemiae norma jam anomala sunt, partim nimiam prolixitatem in re trita at nondum cocta extimescam.

Animae pathemata, et sub his quoque delirium febrile ut febrium nervosarum acutarum evolventes caussae, tertio loco considerari merentur.

Magnos sane edunt, sub febris primariae uti et sub febris nervosae acutae ipsius decursu in corpora effectus; jam supra quum de animae pathematum in dispositione ad has febres generanda potentia, sermo mihi esset, adnotavi quantum sit eorum in corpora non febrilia dominium. Hinc elucescit, facta corporum sensilitatis proportione, quid in hoc statu possint.

Imprimis nocet delirium febrile vias frequentes, quasi ex animae dispositione involvens, saepe etiam stimulo non materiali, animae ipsi applicato excitatum, quod e. g. apud M. Herz rerum novitas in cubiculo insuetus cui amici illum adfixerunt, sicut hasce caussas de tegere sa-

gacis et attenti medici est, quum minus prudentes aliis fugandis caussis inhaereant, immemores istius Ballonii:
 „Saepe capita hominum, morbo capitis consumptorum, aperta sunt, in quibus nil commemorabile repertum est, quod mortem intentasset, et cum alioquin medicus aut abscessum aut simile quid repertum iri pronunciaisset, spes augurantium ipsa inspectio sefellit, eorumque fiduciam et exspectationem in stuporem vertit, ac si cum ipsa anima mortis occasio evolasset.

Quomodo vero animae pathemata febrili corpore agant, id mihi, quum et in corpore fano facillime spasmos generant, eo explicabilius redditur, dum et iratos in febri cuti anserina obduci (quod etiam in territis fieri constat) ^{**)} et bilis inde symptemata oriri constet. Potentiam transpirii itius febrilis sanos acrioris suppressi, bilisque perverse secretae sensiliiori corporis plagae additae sat cognitam habeo, quin dubitem, haec pathemata nervosas acutas febres producere posse.

Vitia regiminis et diaetae sub ipso febris decursu commissa, febrim mirum in modum adgravantia, quum illam in febrim nervosam acutam commutare possint, quarto loco pertractabo.

Forsitan, proh dolor! illa sub primariae initis specifica anxietas, et mortis timor, agrypnias mentemque tristem creans, sua solum vi febres nervosas acutas pro-

^{*)} L. III. n. 71. Ed. Venet. 1735. p. 339.

^{**) Selle l. c.}

producunt. Privatur corpus unica quam somnus largitur animae corporisque requie. Anima tristitia contraria plane isti morborum Panaceae *animae hilaritati*, si et pravas modulationes vis vitalis quas corpori suo stimulo infert, taceam, nonne adauget pervigilia, corporaque hoc modo defatigat?

Inter vitia regiminis maxima sane attentione quaelibet cauffa transpirium praepediens digna censenda est. Cauffae, eo facilius noxiae, quum frequentes sint, aegripe febricula correpti primis morbi diebus in earum periculis obambulant. Perfrigerium tantae potentiae, ut et praeter characteristica et evidenter cuilibet, quae Lind *) Finke **) et Selle ***) narrant exempla etiam res observatis confirmata sit, quaslibet epidemias vere et aestate benignissimas, auctumni sub initia ubi frigidior aër, tendentibus istis, praegressoque calore ad cutim determinatis fordibus, viam paecludit, malignitatem quandam induisse. ****)

Non litigem, an ista perfrigeria potius viam perficiendae coctioni, emungendaeque infestae cuiusdam materiae venosae occludendo, an potius retinendo febrili aescu

*) l. c. p. 62.

**) l. c. p. 103.

***) Neue Beyträge etc. p. 74. p. 80-88-90.

****) Stöll l. c. überl. v. Fabri. 21 B. p. 94. Clarke in Duncan's medical commentaries. Decad. II. Vol. V. p. 301.

aestu concentrato ac aeri perspirabili, depravandoque bilem, seu cumulum depravationis addendo ei (uti perfrigerio offensae miro commercio nexae) enormes hos edant effectus.

Caussant haec perfrigeria saepe saepius retrocessum exanthematum febrilium, cuius rei illustrem casum nobiscum, dum nos therapiam morborum acutorum edoceret, communicavit ill. *Conf. aulae et Archiater magnae Britanniae regis Augustus Gottlieb Richter.* Studiosus scilicet quidam, per aliquot dies dudum de aegra valetudine conquectus, purpureas quasdam in corporis peripheria priori die dum lectulo egreditur, persentit maculas. Nihilo tamen minus hac de re nequaquam anxius, equum conscendit, opidumque Heiligenstadt petit; altera mane vero post celebrata nocturna Bachanalia quum gravius se pati sentiret, equum retro conscendit ac frigido nivosoque sub aere alman Georgiam Augustam intrat, mox vero cubiculum calidum ingressus prosternitur, mente captus, delirans convulsione continua concutitur. Adcerfiti spectantes medici, morbi caussam incognitam habentes, venam scindunt, miseraque morte aegrum animam exhalantem, cernunt. Sectio cadaveris, praeter intestina, heparque bile viridi turgida, nil memorabile, nil suspectum exhibuit. Epicrisin illustris viri Aug. G. Richter simul addam, dixit scilicet unico emetico aegrum servari potuisse, si statum ejus cognovissent medici.

Retrocessio exanthematum febrilium, ad quam corpora ad nervosas acutas febres disposita jam a natura prona sunt, periculosa edere solet symptomata, nullusque du-

dubito, quin et haec caussa febribus nervosis acutis generandis sufficere possit.

Aëris quoque, quo aegri sub febris primariae decursu utuntur, diversa corruptela his suūmopere noxia evadere potest, consistatve in gravioribus vitiis, analysi chemica odore saepeque et visu quoque percipiendis de cuius pondere etiam ill. *Selle* *) et *Leake* **) loquuntur, consistatve in subtili quodam vitio cuius potentiae exemplum exhibit ill. *Clarke*. ***)

Vitiis diaetae et regiminis quoque ea adnumeranda sunt, quae ut stimuli agunt, nervosque irritant; hic spectare videntur ut lectulos pulicum agminibus viventes, parietes muscis tectas nominem, omnia ea, quae sensibus ingrati seu infesti aliquid adferunt. In his quoque ciborum praecipue ex animalium et vegetabilium viscidum glutinosum continentium genere depromptorum abusum, uti et irritos plerumque conatus, vino saepissime non generoso, spiritibus, liquoribusque fermentatis principiis febrium obstandi, complector.

Nunc, proh dolor! quinto loco ea quoque enumeraenda peccata veniunt, quae medicorum omnis aevi et generis commissa esse, aegre sed veraciter fane fateor;

quo-

*) Medicina clinica. 1793.

**) l. c. p. 31. sq.

***) l. c. p. 312. sq.

quorumque effectus illustr. Bagliv *) tam egregie confirmat, quum inquit: *Quando ego solus aegrotorum meorum curam incipio, et mea methodo febres curo, raro tales malignas febres observo; sed quando ad curationem ab alio inceptam vocatus sum, quoniam mente mille praejudiciis antea cepta curatio febrium instituitur, nec oraculis naturae et magni sensis praeeceptis auscultatur, mille differentias et gravia observo accidentia, quae frequentes soboles sunt, methodi de pravatae, non vero naturae morbi, licet haec passim ac quotidie in praxi succedant; succedit etiam ut pluries vidi, dñe febres nonnullas in ipso principio graves statim, statim periculosas, et periculosis etiam stipatas symptomatibus. Has vulgus vocat malignas id est a venenifero productas humore, cuius imaginarii et commentitii veneni de caussa, innumera statim praescibunt spirituosa aromata, alexipharmacata, calida, volatilia et mille id genus inter se pugnantia remedia, quibus, quod praecavere volunt periculum, advocant et augent.*

In genere medici sibi cura febrium opposito vitio peccant, si vel vitiose evacuare student, idque, vel ubi nondum materies evacuanda cocta, et crisi, quam medicus medicamine suo evacuante accelerat, apta erat, vel ubi alia via crises eliminare conatur, quam illa qua natura utitur; vel si medicaminibus vesanas et empiricas ad indicationes exhibitis coctiones crisesque pertubant, corpori stimulos, morbique adgravaminis somites, venena dicam, ingurgitant.

Hinc

*) eius Opp. p. 51. sq.

Hinc pertinent adstringentia, cardiaca, febrifuga, *) sudorifera eiusque generis alia; cuius rei exemplum sat illustre in abusu corticis peruviani in feribus gastro-pudridis tam frequentis videre est. **) His et vesicatoria quibus morbi sub initiis, et visceribus bile sordibusque adhucdum turgidis aegri vexantur, seu insano saepe usu linimenti volatilis egregiae quidem medicinae, at abuso magnopere noxiae, qua pori cutanei exhalantes occluduntur ad numero. Haec medelae administratio coctiones crisesque impediundo, infestosque corpori — praesertim disposito — stimulos addendo, sane morbi naturam prave commutare, nimiumque dixisse dubito, si et febres nervosas acutas generare posse contendam.

Alterum oppositum his omnino vitium, conatus scilicet evacuandi festinatim materiam febrilem nondum coctione subactam, eosdem cum priori omnino edit effectus. Haeccce ut probem, singulos modos liceat perscrutari, quibus, cuiusque demum generis sit evacuatio, peccet modis ac sanitati vitaeque recuperandae infesta evadere possit.

I. Primo quidem v. f. quas medici hic illic abs indicatione jussuque naturae, tam larga et intrepida manu institui jubent, hic notandae veniunt. Horum sola forsitan ratio quam habent, moderamen febris est, quum calorem febrilem hoc magnopere antiphlogistico remedio extin-

*) Th. Glaff. Comm. de feribus. Londini 1742. p. 108. sqq.

**) Moses Mathias de restringendo usu robor. in debilitate morboſa. Gottingae 1782. p. 6. 10.

tinguere student; illam enim rationem, quam practicus quidam mecum communicavit, „sanguinem depravatum (das schlechte Geblüt) febrisque sub illo latentem somitem! ni omnino, tamen maxima ex parte semper extrahi posse;” procul abesse, (ille enim satum obiit,) hoc aevi nostri tantis viris glorioſo decennio, a cuiuslibet clinici, ni vesani ingenio, nullus dubito.

Quomodo demum v. f. magnopere nocivae evadant, id paucis exponam, et quidem

a) v. f. potens phlegmonoideae febris debellator est; at quum solida reddat debilis, inassimilque humorum circulantium imminuat, resorptionem tum contentarum partium corporis, tum et extraneorum adaugeat, sane in istis febribus ab acri quadam materia in quadam corporis parte, praecipue imo ventre (ut bilis corruptela) et tela cellulosa (ut transpirium suppressum) cauſatis, quae forte solidorum debilitate jam nexae sunt, non potest quin noceat. Sint velim v. sectionum in febribus instiuentarum defensores memores istius *Hippocratis* effati: sanguis est domitor bilis, norintque potentiam quam bilis hodierno aeo in febribus generandis adquisivit.

b) Saepe etiam sanguinis detractione menstruum illud corpori demitur, quod crifes coctionesque solum perficere poterat, quod in febribus phlegmonoidēis ipsis videre est, nimia sanguinis copia corpori detrahitur, sed ipsum quoque in febribus a transpirio suppresso, pituita seu bile oriundis contingit.

c)

c) v. s. porro teste experientia, calor febrilis in febribus non inflammatoriae indolis non imminuitur, sed mirum saepe in modum exaltatur.¹¹ Infestos quis porro ignoret effectus, quae Stoll et Strack *) et multi alii a prave facta v. s. oriri viderunt.

Ex his mihi concludere liceat, v. s. quae solidorum corporis reagentium vim vitalem infringit, coctiones et crises mechanico fere modo, uti et stimulus aucta resorptione corpori addendo, spasmosque ciendo impedit, saepe quoque febrium nervosarum acutarum in causa fuisse.

II. Nec minus periculosus est abusus diaphoreticorum febrium sub incremento, nam, quamvis et aliquando contigerit materiam febrilem statim istorum ope eliminata e corpore fuisse, multo tamen saepius sudores abs lenimento morbi humores aqueo - serosos dissipantes, corpusque menstruo coctionum perquam necessario privantes, excitant. Si vero in morbo venoso crisi solvendo quidquam efficiunt, tamen in stadio cruditatis exhibita, crudem materiam cuti impellunt quidem, at non expellunt, cutis eni met renum colatoria his crudibus materiis irritata, spastice constringuntur, exitum simul ac reditum illis praepediunt, ita ut nec excerni nec ad crisi parandam concoqui possint, sed exanthema febrile producere debeant. Quantum vero noceant isti conatus, ope diaphoreticorum materiam febrilem eliminandi, quae non cuti sed ore seu ano expellenda est, medicina ista po-

*) L. de morbo cum petechiis.

popularis, qua ope spiritus ardentis pipere nigro et aromatibus multis inquinati morborum initii obstat conantur hic illic rustici. *) Nec observata defunt, **) quae comprobent abusus horum remediorum potentiam, in evolvendis febribus nervosis acutis.

III. Emeticorum abusus, licet plerumque minus noceat, hodiernoque aevo emetica tanquam summa, fere omnium, imprimis infantum morborum remedia laudentur, et quamvis omnia ea bene norim, quae de coëfficiibus eneticorum egregiis, eorum vi antispasmodica, ac lymphaticum sistema concutiente ***) traduntur; mihi tamen id cum pluribus egregiis medicaminibus commune habere videntur, egregie prodeesse et et magnopere nocere posse.

Liceat mihi juveni quaestio annon morbi primario venosi saepe abusu emeticorum resolventium seu digestivorum secundario gastrici artis ope evaserint, tumque lentius ac imperfectiori saepe crisi fuerint soluti?

Praeterea quoque ea bilis, quam saepe aegri post sumpta emetica tertio quartove vomitu exspuunt, annon potius emeticorum effectus, quam febris caussa dicenda sit. Dijudicent aequi judices, prodeesse an nocere debeat,

*) Finke l. c. p. 10.

**) M. Herz historia morbi, l. c.

***) Hufeland über die Blattern etc. II. Aufl. p. 295. sq.

ista bilis — ad naturae normam — conformatae detractio?
mihi ultimum probabilius videtur.

Emetica vero ita exhibita ut effectus non edant,
sed vel ventriculo retineantur, irritamentisque aegrum ad
tetanum usque jam vexantibus addantur, vel effectus de-
orsum edendo, alvi prosluvium excitent, fordesque gastri-
cas sursum *) turgescentes incarcerent, **) enormes fane-
edunt effectus, certaque tum saepe saepius in caussa fe-
brium nervosarum acutarum habenda sunt.

Nec tum temporis prodeesse posse mihi emetica vi-
dentur, quum materia febrilis gastricae quidem indolis,
at cocta iandum tractui intestinorum tenuium et crassorum
inhaeret; imo ubi jam natura diarrhoeae ope has fordes
eliminat.

In genere emetica temeraria non medicorum manu
disposita, mihi nunquam abs periculo quodam esse videntur,
ita ut omnes medicos enixe rogem, velint rerum naturam
ac conditiones, sub quibus haec remedia maxime nocere
possunt, melius considerare et nunquam obs jussu naturae
et empirica cuilibet porrigerere methodo; neutiquam enim
quod e dictis elucescit, emetica seu bilis detractiones peri-
culo carent.

IV. Periculosior vero multo est, laxantium (cathar-
eticorum) remediorum tam frequens in febribus abusus.
Mea opinione quidem omnia remedia cathartica morbo ad-
huc crudo exhibita, ne hilum quidem materiae morbidae
eli-

*) Adjicienda erat clausula: sit venia verbo. —

**) Selle Neue Beyträge etc. 3r Th. p. 79.

eliminant, sed vexant solummodo tractum intestinorum, si que e salinis remediis fuerint deprompta, sedes et diarrhoeas pariunt frustraneas, et massam humorum coctioni inservientium corpori eluunt, quum longe absit ab illis, febris somitem educere — Draistica acriora praeter majorem quem exferunt stimulum, et calorem quem magnopere augent, etiam plerumque alvum pertinacissime obstipatum, malum in febribus magnum! creant. Sed abhorret ab horum empirico usu in febribus certe sana cuiuslibet mens, inspexerit modo clarissimorum nostrite temporis medicorum observationum agmina, quae de dysenteria, febribus biliosis, aliisque permultis morbis acutis possidemus, hinc et nimia contendisse haud vereor, si et horum abusui magnas in generandis nervosis acutis febribus partes tribuo.

Sed eheu! nimis prolixum me in enarrandis febrium nervosarum acutarum caussis fuisse angor, multa quidem animus dicenda adhucdum tulit, sed nolui mihi ipsi placere, quum aliis forsan garrultitas taedium moveret.

DISQUISITIO NATURAE
FEBRIUM NERVOSARUM ACUTARUM
SPECIALIOR.

Vitio illo pathologorum nostri temporis, quod ill.
Baldingerus^{*)} egregie dudum taxavit, *constituendi scilicet ad sym-*

^{*)} Animadvers. in system. nosolog. Spec. III. p. 9.

symptomatum typique varietates morborum genera, confusiones multae ac compluria morborum genera non in ipsa natura, sanaque praxi, sed in libris nosologicis forsan solum reperiunda, ortum debent.

His morborum generibus et nervosae febres, praeprimis vero eius species — febris nervosa acuta adcedunt, nullum enim illis praedicatum, quin a rertum natura declinem, adjungere possum, quod ipsis peculiare quid, aliisque febribus non commune tribuere possit, omnes enim febres, caussis adcedentibus adversis, in illum statum commutari posse, quem febrem nervosam acutam dicimus, demonstravi. Symptoma quoque quae sub hartum febrium decursu adparent, nonne sunt symptomata omnium febrium male tractatarum seu ad mortem tendentium? Nonne commune febrium periculum, obstaculum crisi salutarium est?

Hae febres nulla habent propria seu specificae indolis symptomata, nullas proprias caussas, imo constat ex ipsis observatis sub denominationibus febr. nervos. acutarum proditis, has febres e concursu caussarum diversarum cum febribus diversae indolis diverse modificari; imo constat febres catarrhales uti et variolas febres fane diversissimi genii ad dignitatem (ut ita dicam) febr. nervos. acutarum evehi posse.

Specifica quae adducuntur symptomata, quibusque (ita opinor) maximum adhuc pondus tribuitur, sunt primo, *agrypnia*, de qua, quum jam supra sim locutus, hic nil dicendum restat. Alterum vero symptoma seu summa symptomatum, *contradictio* scilicet, quam *symptomata in formandas indicationibus* involvunt, ut e.g. pulsus frequens et celer cum summa aegroti debilitate, etiam non probat peculiarem fe-

febrium naturam, formandae enim non sunt indicationes e singulo quodam symptomate, sed ex universo illo indicio quod omnia symptomata simul collata exhibent. Quam diversa enim sint symptomata morborum natura eorundem et sede sola diversorum, exemplo habemus pleuritidem et enteritidem veram.

Naturae sibimet ipsi harum febrium nil *specifici* adjunctum scis, ni forsitan *propensionem* quandam ad *inflammationes occultas* internas, quam *Reil*^{*)} tanquam peculiare aliquid arguit.

Mihi illa vero non his febribus solum peculiaris, sed et putridis, biliosis et ut alii quoque volunt puerarum febribus communis esse videtur.

Interim has inflammations saepe saepius spastici quoque genii esse, dudum supra admonui, et quae meam fidem confirmant, sunt ea quae idem *Reil*^{**) p} profert, dum inquit: *Brevi, in febris conditione, febri acutae nervosae simili, neque calidam neque antiphlogistica methodum ferente, opio bono cum effectu usi sumus.*

Sensibilitas corporis aucta vires naturae fractae et coctio crisesque febrium impeditae, mihi ea esse videntur, quae febris nervosae acutae characterem constituunt.


In genere cum *Selle* contendere malim, naturam harum febrium potius in sensiliore corporis fabrica, quam in irritante materia quaerendam esse — mehr im Gereitzten als im Reitzenden zu suchen sey, ut ipissimum viri illustris verbis utar.

^{*)} Memorabilia clinica. Vol. II. Fasc. I. p. 60.

^{**) I. c. p. 61.}

p. 58





55

typique varietates morborum genera, confusiones
pluria morborum genera non in ipsa natura,
, sed in libris nosologicis forsan solum reperi-
debent.
rborum generibus et nervosae febres, prae-
us species — febris nervosa acuta adcedunt,
illis praedicatum, quin a rerum natura decli-
re possum, quod ipsis peculiare quid, aliisque
commune tribuere posset, omnes enim febres,
entibus adversis, in illum statum commutari
febri nervosam acutam dicimus, demonstravi.
quoque quae sub harum febrium decursu adpa-
unt symptomata omnium febrium male trac-
d mortem tendentium? Nonne commune feb-
m, obstaculum crisium salutarium est?
res nulla habent propria seu specificae indolis
nullas proprias caussas, imo constat ex ipsis
denominationibus febr. nervos. acutarum pro-
res e concursu caussarum diversarum cum fe-
e indolis diverse modificari; imo constat febres
ti et variolas febres sane diversissimi genii ad
t ita dicam) febr. nervos. acutarum evehi posse.
ea quae adducuntur symptomata, quibusque
maximum adhuc pondus tribuitur, sunt primo,
qua, quum jam supra sim locutus, hic nil di-
t. Alterum vero symptomata seu summa symp-
ntradictio scilicet, quam symptomata in forman-
bus involvunt, ut e.g. pulsus frequens et celer
negroti debilitate, etiam non probat peculiarem
fe-